

Descriptiones Terraे Sanctae

ex saeculo VIII. IX. XII. et XV.

S. Willibaldus. Commemoratorium de casis Dei. Bernardus
Monachus. Innominatus VII. Johannes Wirziburgensis. In-
nominatus VIII. La Citez de Iherusalem Johannes Poloner

Herausgegeben von
Titus Tobler

1974

GEORG OLMS VERLAG
HILDESHEIM · NEW YORK



Dem Nachdruck liegt das Exemplar der Universitätsbibliothek Erlangen zugrunde.

Signatur: Ggr. III. 30**b**

cc. 9/6664

UNIVERSITÄT ERLANGEN-NÜRNBERG
BIBLIOTHEK

Nachdruck der Ausgabe Leipzig 1874
Printed in Germany

Herstellung: Strauß & Cramer GmbH, 6901 Leutershausen
ISBN 3 487 05151 6

Descriptiones

Terrae Sanctae

ex saeculo VIII. IX. XII. et XV.

S. Willibaldus

Commemoratorium de casis Dei. Bernardus Monachus

Innominatus VII. Johannes Wirziburgensis

Innominatus VIII. La Citez de Iherusalem

Johannes Poloner.

Nach hand- und druckschriften herausgegeben

von

Titus Tobler.

Nebst einer Karte.

Leipzig 1874.

J. C. Hinrichs'sche Buchhandlung.

des grejois, ne des jacobins, ne des boanins, ne des nestorins, ne des hermins, ne d'autres gens qui n'estoient mie obeissant a Rome, dont il avoit abeies e mostiers en la cité. Por ço ne vos vuel mie parler de totes ces gens que j'ai chi nomé, qu'il ne sont mie obeissant a Rome.

Johannis Poloner descriptio Terrae Sanctae.

De portis civitatis Jerusalem.

Sequitur de portis, quae erant in muro civitatis Jerusalem, quas recolit textus sacrae scripturae. Prima enim vocabatur porta David, et est superior porta civitatis in angulo occidentis; fuit autem sic dicta pro eo, quod turris David eidem imminebat. Dicta etiam fuit porta piscium eo, quod per eam fuit via de Joppe et Diospoli et maritimis. Etiam per eam veniebant negotatores de Aethiopia et Aegypto merces diversas adducentes. Haec enim porta fuit in antiquo muro, et conjungitur ei adhuc hodie murus partis illius, quae fuit apposita propter sepulchrum Domini includendum. De ista porta procedebat via in tres partes divisa: una super agrum fullonis, et una,

quae erat sinistra, ducebat in Betlehem et Hebron Iuda; alia descendebat ad dextram per vallem Rephaim sub castro Bethsura, quod est stadiis quinque a Jerusalem. Secunda dicebatur porta vetus et erat ab ista contra aquilonem in muro veteri, et manserat a tempore jebusaeorum. Dicta etiam fuit porta judiciaria, quia iudicia ibi exercabantur, et quae judicata fuerant per sententiam definitivam, ibi executioni mandabantur. Non longe extra hanc portam Dominus crucifixus est. Tertia erat porta Ephraim in superiori parte contra aquilonem. Per hanc erat via in montem Ephraim et Samariam. Huic accurrebat murus, qui a turri David usque ad hanc portam erat factus ad sepulchrum Domini includendum cum muro veteri. Dicitur nunc porta Stephani, quia fuit extra eam lapidatus. Quarta porta fuit anguli et erat a superiori orientalis in angulo muri super torrentem Cedron, unde in libris Regum legitur, quod Jos (Joas), rex Israel, interruptum murum Jerusalem a porta Ephraim usque ad portam anguli quadringtonitis cubitis. Dicta etiam erat porta Benjamin, quia in Anathot et ceteras urbes hujus tribus ducebat. Quinta porta erat porta sterquilinii.

Per hanc tempore pluviae descendebat sordes civitatis in torrentem Cedron. Per istam portam erat via in desertum, quod est inter Jerusalem et Jericho, quod nunc dicitur desertum Quarantana. Sexta porta erat vallis et dicebatur porta gregis, quia per eam inducebantur greges immolandi ad templum, cui adjungebatur et quasi adhaerebat probatica piscina, in qua hostiae lavabantur. Huic portae adhaeret (turris) Ananael, quae etiam Nebulosa dicebatur, ut illud: *Aedificabitur Domino civitas a turri Ananael usque ad portam anguli*, quae est porta Benjamin. Hanc turrim Herodes magnus instauravit et appellavit Antoniam in honorem eiusdem Antonii. Haec ducit ad montem Oliveti et Bethaniam et Jordanem. Septima porta est porta aurea. Haec non ducebat in civitatem immediate, sed in templum per compendium de monte Oliveti per testudinem quamdam sitam per vallem Josaphat. Octava est porta aquarum, quia per eam portabantur aquae de natatoria Siloe. Erat autem sita in angulo contra partem illam, ubi mons Sion et mons Moria vel mons Herbarum convenienter in angulo duorum murorum, scilicet montis Sion, et muro, qui eingebat

domum regis. Ducebat autem ad fontem Siloe et ad vallem filiorum Ennon et ad fontem Rogel et ad agrum Acheldemach. Non credo, quod plures portas ipsa civitas habuerit, quia secundum situm suum plures non erant necessariae. Celebriores tamen in his sunt tres exitus portarum, scilicet prima, tertia et quarta inter octo jam enumeratas. A meridie autem et aquilone montis Sion superciliū supereminet civitati, et ea pars murorum circumpositis turribus nullas habere portas comprobatur.

Ecce civitas regis magni, quam universae ecclesiae personare non sufficiunt: in cuius murorum ambitu octoginta tres turres et septem munita castra fuerunt, quorum vestigia maxime ad aquilonem adhuc sunt manifesta. Sequitur

Ordo peregrinationis civitatis Jerusalem et aliorum locorum ibidem.

Foris templum sepulchri sancti in planicie circuitus sunt quatuor capellae. Prima a sinistris, cum egreditur, est capella beatae virginis et sancti Johannis Evangelistae; nam ibidem steterunt hora crucifixionis. Secunda proxime est

huic in angulo constructa in honore omnium angelorum. Tertia in eodem latere est sancti Johannis Baptistae. Quarta capella a latere dextro, cum egreditur de templo, juxta turrim campanilis est Mariae Magdalena. Primam capellam habent indiani, secundam jacobitae, tertiam georgitae, quartam occupant graeci. In medio harum quatuor capellarum in pavimento, a gradu Calvariae undecim passibus, est locus signatus lapide, quo Dominus Jesus, ductus a domo Pilati, quievit cum cruce, cohorte circumstante. Juxta plateam ante templum est carcer malefactorum, cuius ostiolum respicit januam templi 22 passuum. Deinde itur versus orientem per vicos civitatis ad praetorium Pilati. Et est notandum, quod a loco Calvariae usque ad idem praetorium sunt cccc passus, quos omni diligentia, qua potui, numeravi. Nam ad domum divitis, qui Lazaro languido micas denegavit, sunt ducenti lxxv passus. Deinde a sinistris per xl passus est locus trium platearum in acie concurrentium, non longe a valva, quae dicit ad Samariam et ad Kapharnaum, Gamalam. Ibidem Simon cyreneus angariatus fuit ad tollendam crucem Christi.

Eodem in loco dixit Dominus flentibus mulieribus: *Filiae Ierusalem, nolite flere super me* etc. Postea per xlii passus a dextris, juxta viam, est locus stationis beatae virginis. Cupiens videre dilectum filium ejus, qui cum ingenti tumultu educebatur de domo Pilati cum intolerabili cruce ad crucifigendum, quem cum intuita fuisset consputum et sanguine conspersum, omnium priornm consolationum oblita, cadens in amentiam, procubuit semimorta, donec a caeteris mulieribus fuit erecta et ablata. Eodem in loco ad honorem ejus constructa erat ecclesia, cujus vestigia hucusque cernuntur, quae a perfidis sarracenis est destructa, et dicebatur ad sanctam Mariam de spasco. Deinde per quinquaginta sex passus cernitur arcus testudinis sursum incurvatus per plateam: est lithostrotus, et gabbatha dicitur, super quem duo albi lapides cernuntur, super quos Dominus Jesus in area Pilati stetit, cum eidem judici ad quaesita respondit. Ibidem est locus, ubi affixum erat vexillum militum. Sub arcu praedicto monstratur locus scholae beatae virginis, qua in juventute scripturam didicit. Ab arcu praedicto per xxv passus est praetorium, quo Christus fuit fla-

gellatus et judicatus, et porta, per quam introivit, et iterum porta, per quam sententiatus exivit: quae ambae sunt obstructae et per lapides muratae, stante fundamento. Domus cuiusdam claret in musitata sculptura in forma rotarum seu astrolobiorum, quae plene cerni non potest. Retro domum praetorii in modica distantia est domus Herodis, sed ante domum praetorii est domus, quae nunc est tribunal judicis civitatis.

A praetorio praefato versus orientem per octoginta tres passus in eodem vico a dextris est prima porta, quae dicit ad viam templi Salomonis, quarum tres sunt in hac platea contra aquilonem. Porta autem speciosa est proxima templo contra occidentem prope hospitium damascenorum. A templo Salomonis non longe versus austrum, eodem ambitu murorum, est templum Domini, in quo afferebantur primogeniti masculi, in quo et puer Jesus praesentatus est et receptus in ulnis Simeonis, habens tectum plumbeum et chorum more sarracenorum versus austrum et in quolibet latere viginti fenestras, attingens extremum angulum civitatis versus vallem Siloe. Deinde declinatur a platea praetorii ad sinistram in bona

distantia, ubi cernitur domus Simeonis pharisaei, qua Magdalene dimissa sunt peccata.

Deinde verso meatu, in vico praetorii est domus Joachim, qua nata est virgo Maria. Ibidem est ecclesia, quam habent sarraceni, distans a prima porta templi Salomonis per octoginta sex passus. Item a domo Joachim recto tramite per quadraginta duos passus maiores est porta gregis vel vallis. In hoc transitu est probatica piscina a dextris, versus templum Salomonis.

Ab eadem porta usque ad arcum testudinis per Cedron sunt centum lxiii passus maiores. Per Cedron quondam jacuit arbor, in qua Christus est passus, quod cognovit regina de Saba, regina austri; venit a finibus terrae audire sapientiam Salomonis. Math. XII. Unde et in historia Regnum legitur: *Et ingressa regina Saba Jerusalem cum multo comitatu et divitiis, camelis portantibus aromata et auri infinitum munus et gemmas pretiosas venit ad Salomonem.* In figura hujus reginae ecclesia, quae venit ex gentibus, signatur. Item ultimo (ultra) torrentem a sinistris 28 passus in valle Josaphat deorsum 48 gradus est grata ecclesia, in qua est sepulchrum gloriosae

virginis Mariae, habens duo extensa brachia et tres articulos medii digiti, octo lampades assidue luentes. Primum (altare) a latere sepulchro (sepulchri) est armenorum, secundum sub umbrosa testudine est georgicorum, tertium sub fenestra versus orientem est graecorum, quartum versus aquilonem est fratribus minorum, quintum juxta primum gradum ascensionis a sinistris est jacobitarum. Sciendum, in eodem latere ascensionis est (altare) indianorum. Ibidem sepulta requiescit regina Milecendis, quae eandem ecclesiam construi fecit: a cuius janua 14 passus versus orientem ad introitum cavernae, quae est in pede montis Oliveti sub rupibus, in qua Dominus Jesus, in agonia factus, guttas sanguinis sudavit, trinam faciens orationem: ab hoc loco moestitiae versus austrum, ad jactum lapidis fortiter avulsi, in latere montis praedicti juxta grandem rupem sederunt tres discipuli, quos invenit dormientes. Prope ibidem per octo passus est hortus, qui floridus cognominatur, versus torrentem, cui directe aurea porta opponitur: in quo Christus captive tenebatur, in quo et Petrus percussit servum principis; nam frequenter convenerat illuc cum discipulis. Et illa porta dicitur etiam, de

qua Ezechiel: Haec est, quae respicit ad orientem, et haec erat clausa. Ingressus est per eam, et vir non transiet per eam, quoniam Dominus ingressus est per eam. Sed Gethsemane, in quo alii octo discipuli manserunt, declivius locatur versus austrum, distans ab horto per sagittam arcus. Deinde ab horto per 45 passus ad altum est locus signatus, ubi beata virgo coelos ascendens angulum (cingulum) suum reliquit beato Thomae, qui non fuit cum coapostolis, quando corpus gloriosae virginis translatum erat in coelum.

Ascendimus nunc ad montem Oliveti per viam petrosam, quae ducit ad portam gregis per torrentem, in qua est locus, ubi Christus flevit, videns civitatem Jerusalem, sicut evangelica dicit historia. Idem locus distat a loco immediate praescripto per ducentos et decem passus, et est via, quam equitavit Dominus die palmarum, quae dividit montem Oliveti a monte Galilaeae. Ab isto loco fletus ulterius ascenditur per centum xcv passus ad locum, ubi angelus Gabriel attulit palmam gloriosae virginis, praedictans migrationem ejus ab hoc saeculo. Deinde ad sinistram extra viam per centum et xx passus ascenditur

mons Galilaeae, in quo quinto et ultimo Christus discipulis suis, uti promiserat, apparuit. Ibidem est locus, quondam bene aedificatus, ubi plenaria fuit indulgentia, quae nunc est in civitate sancta. Tandem reverso meatu ab hoc monte, itur per ducentos lxxvii passus ad ecclesiam montis Oliveti, in qua est capella rotunda, habens in circuitu exteriori 16 passus; in qua cernitur (pedis) sinistri vestigium Christi, quod lapidi impressit, cum ad coclos ascendebat, et habet in longitudine unum palmum et duos articulos medii digiti. In eadem capella sarraceni devotas orationes faciunt, habentes ibidem lapidem. Ipsi etiam super ostium scripserunt litteris eorum rubris: Ego sum ostium misericordiae. Ab eadem capella per unum passum juxta ostium obstructum versus orientem jacet immobilis lapis, in quo ultimo Christus resedit ipso die ascensionis, praedicans discipulis suis et docens de septiformibus spiritus sancti. Item in latere australi hujus ecclesiae ab extra descenditur per xviii gradus in capellam, ubi beata Pelagia fecit poenitentiam, et ibi tumulata requiescit, magnum habens lapidem super elevatum sepulchrum ejus.

Item a Monte Oliveti versus Jordanem seu

orientem per quinque stadia cernitur locus desolatus juxta vallem (villam) Bethphage dictam, unde Christus misit Jacobum et Johannem ad afferendum asinam et pullum ejus, et est in medio viae inter montem Oliveti et Bethaniam. Reverso meatu ad montem Oliveti, itur per viam, quae eundem montem dividit a monte Offensionis, qui ad sinistram versus vallem Gehennon locatur: in quo rex Salomon posuit idolum Moloch adorans illud. A capella praedicta sanctae Pelagiae per xx passus est locus, ubi apostoli vicissim composuerunt duodecim articulos fidei. Ibidem videtur ecclesia beati Marci destructa. Deinde per decem passus versus civitatem jacet lapis magnus in terra, super quem Christus praedicavit et docuit discipulos suos octo beatitudines. Item declivius per 22 passus est locus signatus, quo Dominus Jesus docuit discipulos suos orare, ut habetur Math. vi. Nota de lapide hebraice sculpto, quem sarracenus posuit in lumine (limine) ostii. Iterum descendendo per 12 passus pervenitur ad locum, quo beata virgo Maria, fatigata ex itinere quotidianaे peregrinationis, saepissime sedit et reauievit.

Post hoc descenditur versus vallem Siloe ad sinis-

tram et videtur parva ecclesia sanctae crucis cum tribus altaribus, juxta quam versus austrum per 16 passus cernitur habitatio Judae Scarioth et locus suae suspensionis. Ab ecclesiola praedicta, quantum arcus sagittae projicit, sub rupibus prope civitatem est locus sepulturae Zachariae interemti inter templum et altare. Huic loco annexa est capella, in qua est foramen maceriae in forma fornacis pistorum, quo Jacobus minor hora passionis et mortis Christi pree timore latebat, quoisque Dominus sibi apparuit. Ab eadem capella est ingressus ad quamdam habitationem sursum in petra scissam, et dicitur, quod fuerat domus beatorum apostolorum Philippi et Jacobi. Deinde per duos passus, ex opposito anguli muri civitatis, cernitur structura satis mirabilis sine ostio in forma capellae quadratae, habens in circuitu 16 kloftern, ex integro et vivo lapide usque ad tectum sculpta. Afferunt quidam, ibi sepultum esse regem Josaphat, a quo vallis nomen contraxit, quidam vero filiam Pharaonis, quam Salomon adamavit, quidam autem Absalon, filium David. Nota de arcu testudinis secundo ibidem per torrentem extento sunt dcxv

magni passus ad primum gradum ecclesiae montis Oliveti, quorum viginti sunt. Hoc addidi, ut sciam altitudinem praedicti. Ibidem in pede montis Oliveti sub rupibus habitant coloni et pastores.

Deinde descenditur ad fundum torrentis eundo versus austrum usque ad fontem, ex quo beata virgo Maria, ut asseritur, abluebat et fasciculas Domini infantis lavit. Idem fons dividit vallem Josaphat a valle Siloe. Post hoc per ducentos lv passus versus austrum, in pede montis Sion, est fons Siloe, de quo colliguntur aquae in piscinam inferiorem, quae natatoria Siloe, id est missus, dicitur, ut Johannes narrat de coeco nato. Ab eodem monte ad duos jactus lapidis videtur congeries lapidum, ubi tumulatus fuit Isaias, et ibidem interemtus. Deinde ascenditur altus mons versus austrum, in cuius latere multae sunt cavernae et speluncae, in quibus apostoli tempore passionis Christi se absconderunt: in quibus postea eremitae christiani habitabant. Ab eisdem cavernis altius per triginta passus est ager emptus triginta argenteis, Acheldemach vocatus, habens novem foramina, (in) quae funera immittuntur.

Intra natatoriam Siloe et Acheldemach est Ce-

dron, qui colligitur de superioribus partibus civitatis et montium. Nam juxta Ramatha et Anathot, longe a sepulchro beatae virginis, auditur strepitus ejus sub terra. Descendens (descendimus) sub monte Offensionis in vallem Gehennon sive Tophet, in quo est lapis Zoaleth et fons Rogel, ubi Adonias immolavit victimas. Et sunt ibi loca fertilia propter aquas illa irrigantes. Visis his omnibus, revertendum est per eandem viam, qua venimus, versus civitatem, usque ad capellam beati Jacobi minoris, quae est juxta arcum testudinis Cedron, de quo prius mentio est facta, cum descendebamus de monte Olivarum.

Ab eo igitur arcu usque ad domum Caiphae, quae est in cacumine montis Sion, sunt d.cc.30 passus. In ascensu primo pervenitur ad locum, ubi videtur porta clausa, per quam beata virgo intravit, dum puerum Jesum praesentavit in templum. Deinde altius ascendendo versus occidens est locus, qui galli cantus dicitur, quo Petrus flevit, distans a domo Caiphae c.lxxxvii passus. De loco praedicto altius itur versus occidens per 80 passus pedum. Prope portam plateae judaeorum, quae a civitate respicit ad austrum, est locus

signatus, ubi iudei violenter rapere voluerunt corpus gloriosae virginis, cum per apostolos ad sepeliendum portaretur. A praedicta porta 76 passus platea synagogae iudeorum habet in longitudine ducentos triginta septem passus usque ad introitum testudinum. Ab hoc introitu usque ad castellum David sunt cxiii passus; multi tamen sarracenorum inhabitant. In platea vero huic proxima est domus, qua vinculatus erat beatus Petrus; loco carceris ejus est fornax pistoris. In eadem platea est portula versus austrum, quae lingua eorum foramen acus dicitur, de qua Dominus dixit: *Facilius est, camelum ire per foramen acus* etc. De loco itaque rapinae praedictae usque ad locum obitus ejus sunt cxxx sex passus pedum, quos tanta diligentia, qua potui, numeravi. Primo tamen videtur domus Annae pontificis, in qua est ecclesia armenorum satis grata, luminaribus et lampadibus bene ornata, quatuor habens columnas quadratas. Deinde altius per duos jactus lapidis est domus Caiphae in summitate montis, ut supra dictum est: in qua est ecclesiola, quae capella salvatoris dicitur, non immerito; nam super altare ejusdem capellae positus

est ille lapis magnus, quo signatum erat ostium monumenti Christi. Etiam retro altare sursum picta est transfiguratio. Ibidem juxta altare a dextris est cancer Christi, quo reclusus erat, quousque iudei convenienter et, habito consilio, audirent testimonia contra ipsum. Eandem capellam habent etiam armeni christiani.

Item in eodem monte versus stratum (stratam) est locus secundae sepulturae sancti Stephani. Item per 22 passus versus austrum retro chorum (ecclesiac montis Sion) est locus coquinae, qua paratus erat agnus paschalis ad vescendum, in qua etiam calefacta erat aqua pro pedibus discipulorum lavandis. Item in loco, qui nunc est habitatio, quo spiritus sanctus missus erat discipulis, tumulatus est David, Salomon et plures reges civitatis Jerusalem. Item in cimiterio ejusdem ecclesiae, versus aquilonem, est locus signatus, ubi ipse Dominus Jesus die ascensionis praedicavit et, increpata dementia discipulorum, misit eos in mundum, sed prius ivit cum eis in montem Olivarum; benedicens eis, ascendit in coelum. A scripto lapide xii pedibus est alter lapis terrac affixus, ubi beata virgo

sedens audivit praedicationem filii. Item locus domunculae ejus per v passus, qua morata est xiii annis, quibus vixit post ascensionem filii ejus. Item per xiii passus est locus, quo beatus Matthias, sorte habita, electus est in apostolatum in crastino ascensionis. In eodem loco electi fuerunt septem diacones, qui rite constituti erant in ministerium viduarum: quorum primus erat Stephanus. In eodem loco fuit electus Jacobus minor ab apostolis in episcopum hierosolymitanum. Postea per decem passus est locus venerandus, ubi gloriosa virgo migravit a sacculo. Deinde per octo passus versus dominum Caiphae est locus (cum) quadam capella. Mons (Sion) interpretatur quasi speculum. Nota, Petra deserti, quae est in Arabia, eo in monte speculatur et videtur. Imo et Jordanem vidi ibidem mare Mortuum intrantem, sed mane tantum, quia, cum sol ascenderit firmamentum, meatus ejus non videtur. In ecclesia itaque montis Sion, ubi majus altare locatur, eodem in loco Christus cum discipulis suis coenam manducavit, tradens eis corpus suum et sanguinem, quod coenaculum grande a Christo dicebatur. Item altare aliud

a dextris in angulo occupat locum, quo ipse eadem nocte lavit pedes discipulorum. Item retro altare majus ab extra in alto est locus, quo spiritus paraclitus die pentecostes missus fuit, sicut promissum erat apostolis. Directe sub eodem habitaculo in quadam testudine, septem passus in longitudine habente et duas parvas fenestras versus orientem, tumulatus est rex David et Salomon filius. Item in inferiori ambitu est capella, ubi Thomas apostolus certificandus de fide misit manum suam in latus Christi.

Ab hoc igitur monasterio tendit peregrinatio nostra versus castellum David, quod a tumulo ejus distat trecentis octoginta passibus. In hoc tamen itinere prius pervenitur ad ecclesiam armenorum. Eadem ecclesia est rotunda de muris validis et prostreptibus testudinibus fortissimis, in medio quatuor habens columnas quadratas, nullam habens fenestram nisi in cacumine unam rotundam vitream, sed trecentas vel plures lampades. Nam tempore meo in uno (candelabro) centum et vigenti lampades in eadem ecclesia lucebant, et tantam devotionem populi nunquam vidi, nec audivi: cuius introitu a sinistris ostenditur locus, quo

beatus Jacobus major est decollatus, et distat a loco, ubi frater ejus Johannes missam celebavit, per ducentos 22 passus. Item prope castellum praedictum ad jactum lapidis est locus, ubi Magdalena occurrit beatae virginis nuncians ei, quod filius ejus viveret et a morte resurrexisset. Ibidem etiam Christus apparuit tribus Mariis, dicens: *Avete.* In platea episcopi hierosolymitani est domus beati Zachariae, quam habent georgitae, et in ea grata capella in honore sancti Johannis Baptiste. Ante ingressum domus est antiquissima structura et umbrosa testudo, et est in medio viae inter templum sancti sepulchri et castellum David. Deinde domus, in qua hospitati sunt tres reges. Nota de porta, per quam Maria aegyptiaca peccatis oppressa ingredi non potuit: quae videtur in platea, quae dicit ad Emmaus. Sequitur

Peregrinatio a civitate Jerusalem versus orientem ad Bethaniam.

Visis itaque propinquis, transeundum est ad remotiora, ut nostrae devotionis crescat affectus. Primo enim transitur ad Bethaniam, quae distat

a Jerusalem per dimidium milliare alemanicae viac quod est 15 stadia, Joh. 11: ubi sub castello cernitur sepulchrum Lazari a Christo resuscitati, et fuit ibi magna ecclesia, cuius columnae adhuc stantes videntur. Ab eodem sepulchro per decem passus in tenebrosa testudine est altare. Ibidem stetit Christus, cum ipsum vocavit de monumento. Item deforis altius huic in proximo est domus Simonis leprosi, duas habens cisternas, in qua Magdalena fudit unguentum super caput recumbentis, de quo Judas accensus erat indignatione. Ante sex dies paschae coenavit Jesus in Bethania Martha ministrante, cuius frater unus erat ex disponentibus, propter quam multa turba: ex iudeis venerunt illic, cogitantes et Lazarum interficere. Joh. 12. A Bethania per sex jactus sagittae videtur lapis magnus in campo, super quem sedet Dominus, quando Marthae occurrit, ei dicens: *Domine, si fuisses hic etc.* Ab illo lapide, in quantum lapis projicitur, a sinistris versus Jordanem videtur ruina domus Marthae et signatus ambitus arte et caldarium sub rupibus. Deinde per unum jactum sagittae a dextris declivius contra austrum fuit domus Magdalene, cuius in loco est destructa ecclesia,

stabulum caprarum facta. His duabus domibus Dominus Jesus saepissime refectus et hospitatus est. A latere utroque est vallis declivis, sed a sinistris est profundior: in qua est via, quam transivit Dominus veniens de Jericho, ascendens Hierosolymam. Sequitur

Peregrinatio de Jerusalem ad Bethlehem.

Primo enim videtur domus Simeonis prope Jerusalem a dextris, extra viam versus Garwin (Ain Kârim), in vineis; a sinistris autem prope montem Sion est aedificium in calle (colle) in forma castelli, quod dicitur domus mali consilii, in quod Judas ivit ad negationem suam, tractans de traditione Christi. Ibidem fuit grata ecclesia beati Cypriani. Post hoc per bonam distantiam pervenitur ad unam cisternam. Ibidem stella amissa reluxit tribus regibus, in quorum honore ibi fuit ecclesia, cuius pavimentum et superficies rimatur. Extra viam a dextris in colle est ecclesia beati Georgii. Ulterius a sinistris non longe a via est summum aedificium et ornata ecclesia graecorum, habens cisternam juxta parietem australem. In eadem habitatione fuit natus et moratus Elias adhuc vivens, quae

est in medio viae duarum praedictarum civitatum per alemanicum milliare distantium. Tempore Eliae clausum erat coelum annis tribus et mensibus sex. Inter Jerusalem et Bethlehem vel Ephrata est mons Gion, in quo rex Salomon fuit unctus et coronatus, super quem aedificata fuit ecclesia beati Cypriani, ut supra dictum est. Ulterius prope viam est indicium magnae turris, ubi Jacob collectavit cum angelo, unde Gen. 32. Deinde ad dextram prope viam, qua itur in Hebron, est sepulchrum Rachelis, uxoris suae, quod per sarracenos ornate est constructum et ad austrum versum habentes ibi sepulturam eorum, et dicitur locus Chabratha. Post hoc non longe pervenitur ad agrum, in quo semen pisarum seu cicerum nutu Dei commutatum est in lapillos formam pisarum habentes et quantitatem.

In civitate Bethlehem versus occasum fuit ecclesia Cosmae et Damiani. In ingressu itaque majoris ecclesiae a dextris, juxta chorum, est altare designans locum, quo multi innocentium sunt interemti. Ibidem et Dominus Jesus est circumcisus; sed a sinistris prope cisternam est altare, ubi magi ad honorem novi

regis honorifice ad offerendum ornaverunt, et dicitur, quod in eadem cisterna stella disparuit. Deinde descenditur per 16 gradus ad capellam, quae est sub choro, in qua natus est salvator mundi. Ibidem est altare a sinistris, cum ingreditur, a quo per septem pedes et tres gradus est locus sub rupe, ubi puer Jesus reclinatus fuit in praesepium et ibi a magis veneratus et a pastoribus adoratus. Nota, quod hoc templum in longitudine ab intus habet 36 passus pedum, in latitudine vero 18, et habet quatuor rigas columnarum marmorearum, quaclibet riga habet 12 columnas per 7 pedes distantes usque ad chorū: omni decore tam in pavimento, quam in parietibus fulcitum, tecto plumbeo coopertum, genealogiam Christi per lapides musivis sursum a latere dextro, cum ingreditur, habens conspicitam; bifores ejus de cypresso variis modulis incisae, parietes collaterales subducti sunt tabulis marmoreis, quae (per) perfidos sarracenos auferuntur, et est mirabile, quod contigit eadem in ecclesia. Nam quidam soldanus, mirifica cernens ejus tabulamina, cogitavit ea auferre et palatium suae mansionis in Kairo per ea subducere et ornare. Veniens igitur die statuto unacum

artificibus et sculptoribus, volens lapides ornatos auferre, subito serpens immodicus incanduit et in pariete apparuit reptans super tabulas lapideas, dividens ipsas per medium, cuius hucusque gressus in pariete, sicut vidi, apparent usque ad altare trium regum circa cisternam praedictam. Quod cernens, soldanus confusus discessit. In ambitu hujus monasterii a latere aquilonis descenditur per 19 gradus ad capellam, quae studiorum sancti Hieronymi dicitur, ubi 55 annis et sex mensibus in translatione scripturarum desudavit. Proxime hinc per maceriam ad tres passus in obscuro juxta altare, sub praesepi Domini, a dextris est tumulus ejus, quo primo sepultus erat. Cum autem Terra Sancta tradita erat in manus perfidorum et, Jerusalem non sentiens defensorem, ossa ejus veneranda translata sunt Romam et plurimum aliorum sanctorum. Adhuc sunt citeriores cavernae sub saxis pendentibus a sinistris, in quibus obfuscata et projecta erant multa corpora innocentium.

Inter Jerusalem et Bethlehem sunt duae leuae, id est, unum milliare alemanicae viac, in qua via multa mysteria sunt facta. Nam Abraham

cum uxore, veniens de Chaldaea, transivit per hanc viam. Loth cum uxore, veniens de transmontanis, in hac via ambulavit. Jacob patriarcha cum Rachel uxore saepius ibidem transivit. Beata virgo Maria praegnata hincinde per eandem viam meavit et fatigata requievit. Item tres reges, requirentes puerum Jesum, ibidem abierunt. Item Isaias et Elias et plures sancti prophetae, pergentes in sanctam civitatem, per illam viam transierunt. Item beata virgo, iens et rediens in Aegyptum et ab Aegypto, per hanc viam cum Joseph secessit.

Prope Bethlehem ad jactum lapidis, versus austrum, fuit ecclesia, in qua Paula et Eustochium sunt sepultae. Et eadem ecclesia est beati Nicolai, et in eodem loco Maria permansit cum puer et Joseph prima in nocte, cum fugit in Aegyptum. Nota de emisso lacte ibidem. Item inter Jerusalem et Bethlehem est via trium horarum. Item a Bethlehem unum quartale in valle versus mare Mortuum fuit pulchrum aedificium cum ecclesia, quod ad pastores dicitur. Nam eodem in loco angelus nunciavit pastoribus gaudium, dicens eis, ut transirent Bethlehem adorare

puerum Jesum: qui, continuo surgentes, transierunt ad latera montis Bethlehem, ubi alter ab altero retractus fuit, mutuo dicens, vocem angeli phantasma fuisse, et declinaverunt retrorsum ad gregem suum. Tunc angelo secundo affuit et coegerit eos, ut viam perficerent arreptam. In eodem loco est ecclesia cum uno altari. Aliqui autem dicunt, beatam virginem ibi errasse a via ducenti in Aegyptum, sed primum magis consonum est veritati. Item a Bethlehem per duas leucas contra austrum sunt sepulchra duodecim prophetarum. Sequitur

Peregrinatio de Bethlehem ad vallem Hebron.

In via enim de Bethlehem ad vallem Hebron ostenditur locus, ubi Abraham tres (angelos) vidiit et unum adoravit. In templo Hebron videtur quaedam scissura foraminosa, quae spelunca duplex dicitur, qua sepultus est Adam, Abraham, Isaac et Jacob et uxores eorum, scilicet Eva, Zara, Rebecca et Lia. Non longe ab oppido est ager damascenus, quo Adam cum Eva est creatus. Sequitur

Peregrinatio de Hebron ad Jerusalem.

De Hebron versus Jerusalem pergitur per montana Judae, ubi videtur domus Zachariae, qua beata virgo visitavit Elizabeth. Ibidem duae sunt ecclesiae, una super alteram aedificata; altior tamen est destructa. In inferiori quidem videtur scissura rupis in muro dextro, cum ingreditur, in qua latitabat puer Johannes prae timore Herodis regis pueros occidentis. Deinde descenditur per modicam distantiam, et monstratur fons saliens juxta viam a dextris, circa quam sedit et requievit virgo Maria fatigata ex itinere, visitans suam cognatam, quae ibidem sibi obviavit, ut creditur, et dixit: *Unde mihi hoc, ut mater Domini mei veniat ad me?* Ibidem ipsa mater Domini fecit canticum, scilicet: *Magnificat anima mea Dominum.* Post hoc declinatur a via ad sinistram, ad quemdam collem, quo grata fuit ecclesia, nunc autem inquinata ruderibus et plena mulorum stercoribus, quam sine tributo peregrinus non ingreditur. Ibidem natus est sanctus Johannes Baptista, filius Zachariae dicentis: *Benedictus Dominus etc.* Deinde pervenitur ad aliam eccl-

siam georgitarum bene decoratam, quae ad sanctam crucem dicitur, quia arbor crucis Christi ibidem stetit et crevit, cuius foramen videtur hucusque sub quorum (chori) altari. Postea juxtam viam, qua itur ad Gazam, videtur aqua, qua eunuchus a Philippo est baptizatus. Act. 8.

Divisio Terrae Sanctae.

Terra ista, quam sanctam dicimus, in distributione cecidit in sortem duodecim tribuum Israel, et pro parte aliqua dicebatur regnum Judaeae, quae erat duarum tribuum, scilicet Judae et Benjamin, pro parte altera dicebatur regnum Samariae, in quo metropolis est Samaria civitas, quae et Sebaste dicitur, et caput fuit decem tribuum reliquarum, quae Israel dicebatur. Utrumque tamen regnum cum tota terra Philistim dicebatur Palaestina, quae erat pars, sicut Saxonia, Lotringa partes sunt Teutoniae, et Longobardia et Tuscia partes sunt Italiae. Et nota, quod tres sunt Palaestinac. In prima metropolis est Jerusalem cum omnibus montanis suis usque ad mare Mortuum et ad desertum Kades Barne. Secunda, cuius metropolis est Caesarea

maritima cum tota terra Philistim, incipiens a Petra incisa et extendens se ad Gazam, fuit Terra Sancta contra austrum. Tertia est metropolis Bethsan sub monte Gelboe. Haec quondam Sceythopolis dicebatur, ubi suspensa erant cadavera militum Saulis. Ista Palaestina proprie dicitur Galilaea, in qua est campus Esdrelon, quae incipit a Jordane minori et contrahitur contra austrum usque ad Gelin (Ginaca), oppidum collapsum, sub quadro 37., in colle, quam in hac carta viridem pinxi addictam Samariae: quae a praedicto Gilin incipit et protenditur ad flumen Jordanis et ad Maginas (Machmas) quadro 53., cui annexitur Judaea, quam cum suis montanis citrinam pinxi. Galilaea autem gentium incipit a praedicto Jordane minori et protrahitur ad aquilonem ad montem Libani, et est in regione Decapoleos, cuius extremitates sunt mare Galilaeae ab oriente, Sidon ab occidente, Damascus ab aquilone. In hoc quidem ambitu sunt decem civitates, a quibus Decapoleos regio dicitur, quae sunt Tiberias, Bethsan, Jonapata (Jotapata), Sephet, Cedes Neptalem, Assur, Caesarea Philippi, Capharnaum, Bethsaida, Chorozaim. Sunt tamen in ea adhuc plures civi-

tates, ut supra insignita. Has omnes civitates et castella circuibat Dominus Jesus docens in templo eorum et praedicans evangelium regni Matth. 4, 23.

Longitudo terrae promissae a Dan, quae est sub monte Libani, ab aquilone contra austrum usque Bersabe, quae est prope desertum Aegypti, habet quadraginta duo millaria alemanica vel ducenta decem italica; latitudo vero ejus a mare occidentali usque ad fimbriam montium Arabiae habet quatuordecim millaria magna vel septuaginta italica. Tota itaque Terra Sancta in octoginta tria quadra protrahitur et in viginti octo spatia secundum latitudinem, tractis lineis super lineas transversaliter ab occidente ad oriens. Exinde 2. spatio et in 12. quadro locatur Bosra in regione Bostoron, de qua scribitur Isaiae 62. Via per civitatem Cedrar (Cedar), sub quadro 23., ducit ad Aran (Aram), Mesopotamiam, Hammam, Hyrcaniam et ad mare Kaspium. Hae gentes per eandem viam annuatim consueverunt convenire ad planitiem fontis Phiale, et habent mundinas ibidem per totum mensem maji, et erigunt ibi tentoria diversorum colorum in civitate Cedar in monte, pulchrum generantia prospectum: quae ta-

bernacula Cedar in Canticis appellantur. Hanc civitatem vocat Josephus Camelam pro eo, quod mons, in quo sita est, in modum camelii est dispositus. Sub quadro 24. (53.) in montanis ad orientem locatur Areopolis, quae olim Aror (Aroer) vocabatur, metropolis secundae Arabiae, quatuor habens dietas ad Petram deserti. De hac Petra Isaiae dicitur: *Emitte, Domine, agnum de Petra deserti ad montem filiae Sion.* In hoc monte vidit Johannes agnum stantem. Apoc. 14. Super hanc Petram aedificatum est inexpugnabile castrum quondam Pirach (Kirach), in quo soldanus suos deponit thesauros Arabiae et Aegypti. Intra hanc Petram et Areopolim mediat torrens Sorec et mons Abarim, ubi Moises per angelos sepultus est. Ab hac Petra versus austrum sunt tres dietae ad montem Seir, qui conjunctus est deserto Pharan, et dicitur terra arabica usque ad mare Rubrum. Nota, sub fimbria montium primae Arabiae, circa montem Sanir, incipit terra Hus, quae et regio Traconitidis dicitur, et prolongatur usque ad Cedar et mare Galilaceae, et fuit in parte de regione Decapoleos. Item sub fimbria montium secundae Arabiae usque ad Jordanem fuit regnum

Og, regis Basan, quod cedit pro parte tribui Gad usque ad torrentem Jaboc. Hoc regnum ad differentiam aliorum citrinum pinxi. Tota autem terra huic vicina, quam albam feci, dicitur Bethania, ubi Johannes erat baptizatus, et fuit regnum Seon, regis Ezebeon, quod fuit in parte de tribu Isachar. Deinde intra torrentes Ainan (Arnon) et Sorec sunt campestria Moab, et ostenditur ibi locus, ubi Balam et asina colloquebantur, et ubi liber Deuteronomii est editus. Terra autem citrina ultra torrentem Sorec versus austrum dicitur terra Moab et Ammon, ut praedictum est.

Nota, quod tres sunt civitates fugitorum trans Jordanem: prima sub quadro 23. circa montana Arabiae Golan vocatur, secunda sub quadro 37. vocatur Ramoth Galaad, tertia sub quadro 33. dicitur Ephrem, ubi Christus morabatur cum discipulis suis. Johann. XI. Et tres sunt civitates refugii versus mare occidentale: una est Hebron sub quadro 69., altera Sebaste sub quadro 43., ultima citra paludem Maron (Merom), dicta Cedès Neptalin, in valle Sanin, de qua fuit Baruc. Hae sex civitates signatae sunt in carta cum tali signo .•.

Sub 19. quadro ponitur hoc signum Λ·, et est locus, ubi Dominus quatuor millia populum septem panibus saturavit. Sub 19. quadro juxta hoc signum V. pavit Dominus quinque millia hominum quinque panibus, sicut scribitur Joh. 6. Sub quadro 19. circa hoc signum C centurio supplicavit pro servo suo. Ibidem Dominus mundavit leprosum juxta mare Galilaeae. Prope Kapharnaum Matthaeus, Andreas, Petrus, Jacobus et Johannes vocati sunt in apostolatu. Sub 21. quadro Petrus et Andreas et Philippus sunt a Bethsaida. Joh. 1. et 12. Sub 36. quadro est Machaerunta, ubi decollatus est Johannes Baptista.

Stagnum Maron tempore aestivo pro magna parte exsiccatur. Unde crescunt ibi arbusta et herbae densae, in quibus latitant leones et aliae bestiae, et sunt ibi delectabiles venationes. In modica distantia versus aquilonem signavi locum cum gladio, ubi Josue pugnavit contra regem Assur et alios 24 reges, quos persecutus est usque Sidonem geminato die et sole stante. Unde: *Gloria Libani et decor Carmeli et Saron data est ei.* Is. 35. A Sidone contra aquilonem ad duas dietas extra Terram Sanctam, in porta (portu)

damascenorum, est antiqua et nobilis civitas Baruth (Berytus); sed portus ejus periculosus est, in quem nos ventus aquilonis intrare compulit in vigilia sancti Thomae, a quo regrediebamur ad grandia flumina in vigilia nativitatis Christi, et in diluculo sequentis diei festi eundem portum non sine metu iterum per turbinem compulsi sumus intrare, ubi, fixis ancoris, lugubres stetimus usque ad diem circumcisiois. Ab exteriori porta orientali ejusdem civitatis per ducentos et nonaginta passus ostenditur locus, ubi beatus Hieronymus (Georgius) tortuosum anguem interfecit. Sub quadro 31. est fons Israel, de quo primo Regum, ubi Philistim fixerunt castra sua, cum Saul esset in Gelboe. Inter montem Gelboe et montem Hermoniim est vallis duarum leucarum in latitudine (et) in longitudine non octo leucarum usque ad Jordanem, in qua multi conflictus habiti sunt: Gideon contra Madian, Achab contra assyrios, modernis etiam temporibus tartari cum sarracenis. Eundem locum signavi cum gladio. Sub quadro 19. est casale Sanguor (Sanctus Georgius), ubi sanctus Matthaeus creditur fuisse natus. Et est situm inter montana in valle pingui et fertili, quae protenditur ad mare Galilaeae.

Propter ejus amoenitatem de ea bene dici potest illud Genes.: *Aser pinguis panis ejus et praebens delicias regibus.* Quod utique verificatum fuit in sorte tribus Aser. In spatio 16. et 22. quadro est Neptalim, de qua fuit Tobias: firmo loco sita et inaccessibili nisi a parte orientis per breve spatium, quod tempore excidii secundum Josephum Jonapatra (Jotapata) dicebatur, in qua idem Josephus obsessus fuit a romanis et captus: quae nunc Siran dicitur. Sub 24. quadro est villa Endor, de quo Psalmus: *Disperierunt in Endor.* Sub 55. quadro est Bethel in tribu Benjamin, ubi Jacob lapidem erexit in titulum, quando fugit a facie Esau, dormiens, ubi vidit scalam etc., et vocavit nomen loci illius Bethel, a qua versus orientem est Hai civitas, de qua Josue 8. scribitur. Sub quadro 69. est Mambre, ubi longo tempore habitavit Abraham, sedensque ad illicem Mambre in ostio tabernaculi sui vidit tres viros descendentes per viam etc. Genes. 18. Ilex illa ostenditur hodie ante ostium tabernaculi. Ipsa tamen vetus aruit; sed de radice ejus alia et alia nata est. In 20. spatio est Sochot Judae juxta vallem Terebinthi, ubi David interfecit Goliam ge-

thaeum. Seth (Sethim) sub 56. quadro locatur in colle.

Ab ea incipit terra philistinorum. In eodem colle christianus rex Hierosolymorum, nomine Fulco, aedificavit praesidium Ibelim dictum contra insolentias ascalonitarum. Ascalona fuit civitas philistinorum prope mare sita, formam habens semicirculi, et est quasi totum robur sarracenorum in terra illa. Sub quadro 22. in littore maris est Ackon, olim civitas philistaea, Ptolemaida dicta. Sub quadro 40. et 28. spatio est Cesarea ○—C maritima (Caesarea maritima), quam Herodes Ascalonita ad honorem Augusti ampliavit, et fuit metropolis Palaestinae maritimae. De ipsa Josephus multa scripsit. Versus orientem habet paludem latam et profundam et dulcem, in qua multi sunt kocodrilli. Ipsa vero penitus est destructa. Petrus apostolus in ea baptizavit Cornelium; Paulus in ea longo tempore detentus (est) in carcere, dum Romanum pergeret. Incommode portum habet; hortorum autem et pascuorum et aquarum fluentium habet plurimam ubertatem usque ad Lyddam et versus terram Saronam. Lyddam signavi cum arcu testudinis, qui ibi videtur, ubi

erat templum sancti Georgii ibidem occisi. Arsur in littore maris, olim Antipatrida dicta, fuit fratrum hospitalis beati Johannis Eleemon. Joppes civitas non habet portum. In ea fuit Tabitha, apostolorum famula. Ibi Jonas intravit navem fugere volens in Tarsum. In hac civitate non vidi quemquam hominem, quia multae civitates circa littus maris per soldanum destructae sunt, cum audiverat, praedictam civitatem Ackon esse captam per reges Franciae et Angliae. Sidon, urbs Phoenicis; ejus magnitudinem adhuc ruinae ejus attestantur. Fuit in campo per longum disposita, tendens ab aquilone in austrum sub monte Antilibano. De ruinis autem ejus alia est aedificata, parva quidem, sed munita, si haberet defensores. Et est ex parte una in littore maris sita, habens hincinde duo castra bene munita, unum ab aquilone in rupe marina, quod olim peregrini de Teutonia aedificaverunt, aliud ex parte australi in colle situm. Haec duo castra cum civitate milites templi olim tenebant. Et sunt ibi cannac mellis et vineae et valde bonae. Inde ad duas leucas est Sarepta, paucas domos habens, cum tamen ruinae ejus ostendant, eam fuisse glo-

riosam. Tyrus in tribu Aser, quam tamen aseritae nunquam possiderunt. Deinde putei aquarum viventium. Sub 43. quadro est Sebaste, quae est (et) Samaria dicta. Est tota destructa praeter duas ecclesias: una in honore sancti Johannis Baptiste, in qua est sepulchrum ejus de marmore ad instar sepulchri dominici, ubi ipse inter Helisaeum et Abdiam prophetas fuerat sepultus. Fuit enim cathedralis ecclesia in latere montis posita, quam sarraceni deturpaverunt. Altera est in supercilio montis. Hanc graeci inhabitant monachi, qui ostendunt ibi locum carceris ejus, quod frivolum reputo, cum in Machaerunta sub 36. quadro sit decollatus. Sub 45. quadro est Sichem, quam graeci Napolesam vocant: de qua fons Jacob distat ad duos jactus sagittae. In Sichem sepulta erant ossa Joseph. Judaei dicunt Sochim, Sion vocant Haraon.

De civitatibus et locis Terræ Sanctæ.

Ackon civitas, in provincia Phoenicis sita, turribus et muris bene munita, triangularem ut clipeus habens formam, cuius duae partes surgunt a mari, tertia campum respicit: habens in longi-

tudine duo millaria sive sedecim stadia, fertilis tam in agris, quam in hortis. Ipsa enim nunquam fuit de Terra Sancta, nec a filiis Israel possessa, licet tribui Aser in distributione Terrae Sanctae fuerit assignata. Fuit enim una de quinque civitatibus philistinorum, juxta mare sita, circa quam angelus Domini, inveniens Abacuk portantem prandium messoribus, tulit ipsum in Babylonem, sicut legitur Danielis 14. Eodem in loco, quo raptus erat ab angelo, erat grata capella. Ab eadem civitate Ackon contra aquilonem ad octo leucas cernitur ille mirificus puteus aquarum viventium versus Tyrum, sumptuoso opere constructus. Quamvis singulariter dicatur puteus, non tamen unus est, sed tres fontes ejusdem structurae et dispositionis, sed non ejusdem quantitatis. Principalis tamen fere habet triginta quatuor cubitos in altitudine, alii duo viginti duos. Quadrangulati sunt muris fortibus de saxis validis, et amplificati tantum, quantum hasta tornari potest: in quibus aqua ita ebullit et scaturit, quod omnibus aquaeductibus partitur, etiam per totam planitatem Tyri diffunditur, ita quod horti et vineae, ficeta et oliveta et cannamellae, quae abunde ibi crescunt,

irrigantur. Distant enim hi fontes a mari, quantum arcus sagittam project. Ab his ad unam leucam est civitas tyrensis, ab Ackon contra aquilonem sita: de ejus praeconio quidam prophetarum scripserunt. Ipsa enim magno murorum ambitu assurgit a littore maris, mari circumdata undique, nisi in parte orientali, ubi eam Nabuchodonosor et postea Alexander fecerunt contiguam terrae fere ad jactum lapidis. Ibique cincta est muro triplici et alto cum turribus firmis. In ea Origines tumulatus fuit. Multae reliquiae sanctorum, qui in ea pro Christi nomine interemti sunt, permanserunt. Ante portam versus austrum ad jactum duarum sagittarum signatus est locus praedicationis Christi per lapidem, in quo stetit: super quem fundata erat ecclesia in honore salvatoris. Est etiam ibi locus, ubi mulier, finita praedicatione, dixit ad Jesum: *Beatus venter* etc. Hic locus non operitur arena, quae licet sit levis et volatilis, sicut nix in intenso frigore apud nos, quae a vento rapitur et spargitur, iste tamen locus in medio arenarum semper est viridis. De Tyro ad quatuor leucas est Sarepta Sidonae, ante cuius portam ostenditur locus, quo Elias venit ad

viduam sareptanam. Deinde non longe est capella, ubi filium ejus resuscitavit. De Sarepta ad duas leucas est Sidon, civitas quondam magna, cuius magnitudinem ruinae murorum indicant. Est fere tota in corde maris sita, habens hincinde duo castella, unum in colle contra campum, aliud in rupe maris, quod quondam aedificaverunt teutonici peregrini. Ab hac civitate (distat) Antilibanus per alteram dimidiam leucam, ubi vina delicatissima crescunt, de quo et propheta: *Memoriale tuum ut vinum Libani.* Ultra Sidonem, ante cujus portam, Dominus sanavit filiam chananaei.

